

obtinere, ascendereque ad omnes gradus videlicet Magisterii, Præsentaturæ, & Prædicatoris Generalis, dummodo expleverint in dicto Conventu, vel in eadem Provincia Italiae omnes conditiones, & requisita a supradictis Constitutionibus Ordinis.

Nono. Si forte evenerit, quod aliqui, vel plures Religiosi Hispani, qui in suis Provinciis fuerint Magistri, Præsentati, vel Prædicatores Generales dicti Conventus, & Provinciam Italiae petierint cum licentia, ut supra, vel utriusque Provincialis, & in isto casu a Definitorio acceptati, nullo modo possint gaudere, & frui suis Dignitatibus, & gradibus, usquedum a Definitorio dictæ Provinciae Italiae eis concedatur, vel in Conventu prædicto, vel Provinciae Italiae iterum expleverint conditiones, & requisita ad gradum obtinendum, solum quod habere possint exemptiones, & privilegia, quæ Ordinis Constitutiones noviter editæ concedant graduatis hospitibus cum hac tamen expressa declaratione, ut semper dictis Fratribus graduatis, qui ex Hispania venerint, ut supra dictum est, præferantur ad numerum graduatorum expleendum Fratres Neapolitani filii dicti Conventus, & Fratres Hispani, qui habitum Religionis in dicto Conventu susceperint, & etiam Fratres Hispani, qui nunc in dicto Conventu existunt, & expleverint requisita ad gradum quemlibet obtinendum, etiam ante dictam Capitulationem, & reincorporationem. Laus Deo, & Deiparæ Mariæ Virgini Immaculatæ.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes Capitula præinserta Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti, ac aliquem Fratrem dicti Ordinis meritis, & idoneitate præditum cum ampla facultate capiendi possessionem memorati Conventus nomine dictæ Provinciae Italiae, & obedientiam regularem in illo restituendi, necnon omnes Fratres delinquentes a censuris, & pœnis ecclesiasticis per eos, ut præfertur, incursum absolventi, eosque ad exercitium Sacrosancti Ordinis rehabilitandi, ac omnes, & singulos processus præmissorum occasione a quocumque Judice abinde extra factos, & formatos cassandi, & abolendi, omnesque Fratres præfatos adversus delicta hujusmodi huc usque adducta in pristinum statum reponendi, ac cum facultate Definitorio Capituli Provincialis competente nominandi juxta Constitutiones Ordinis, & Capitula præinserta omnes, & singulos Superiores locales, ac Officialis, & amovendi quoscumque Religiosos a Conventibus dictæ Provinciae Italiae ad effectum formandi familiam exemplarem in dicto Conventu Neapolitano, necnon contenta in Capitulis præinsertis pacifice, & quiete intra Claustra stabilendi, simulque occasionem ulterius scandalorum præcidendi, pacemque, & animorum concordiam inter memoratos Fratres Hispanos, & Italos, ut ipsi tuta conscientia in utroque foro Deo, & Religioni servire valeant, reintegrandi,

perpetuum super præmissis silentium imponendo, a Nobis deputari summopere desiderent; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialis favore, gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, consilio, petitioni eorumdem Exponentium pro stabilimento pacis, ac regularis disciplinae in præfato Conventu Neapolitano, & ad componendas lites, ac differentias inter hujusmodi Ordinis Religiosos ejusdem Conventus occasione obortas, diuque agitatatas libenter annuentes, Capitula concordie inter partes conventa, & in ante scriptum tenorem ab eorumdem Cardinalium Congregatione moderata, & redacta auctoritate apostolica, tenore præsentium benigne approbamus, & confirmamus, & in posterum inviolabiliter observari mandamus, ac præcipimus.

§.4. Præterea ad hunc, omnemque meliorem finem auctoritate, & tenore prædictis deputamus, & instituumus in Visitatore Apostolicæ, præfati Conventus cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, nedum ad omnia, & singula præmissa, prout petitur, sed et quæcumque alia, quæ sibi expedire visa fuerint decernenda, & exequenda, et signanter ad avocandos Religiosos, quos judicaverit, ex omnibus Conventibus totius Provinciae, et in antedicto Conventu de familia assignandos, remotis, et alibi constitutis aliis, quos pariter judicaverit, supradictum Dominicum Tafur Ministrum Conventus hujus Urbis, de cujus idoneitate, et sufficientia plene, fuit persuasum, qui in super ut negotium sibi impostum rite, & recte coasciat, una cum præfato Conventu Conventus etiam S. Mariæ juxta Mare, & Sancti Francisci Petre Melaræ visitare possit, eique in suo munere omnimoda obedientia, ac reverentia præstari debeat, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium.

§.5. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in in præmissis per quoscumque

Decretum confirmat.

que Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Ordinis, ac Provinciarum, & Conventuum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 13. Junii 1663. An. IX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Junii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLIII.

Ex Regest. in decret. brev.

Confirmatio quorundam Statutorum Provinciae Britannicæ Fratrum Recollectorum, ac de Observantia Ordinis Minorum S. Francisci circa electionem Provincialis, & Definitorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Recollecti, & de Observantia nuncupati Provinciae, ac Nationis, & Linguae Britannicæ in Gallia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, quod cum omnes, & singuli Conventus dictæ Provinciae in Natione Linguae Britannicæ consistant, exceptis duobus in Natione Linguae Gallicæ existentibus, ideo dudum ad extinguenda odia, rancores, lites, rixas, & contentiones, quæ inter Fratres utriusque linguae hujusmodi oriri poterant, per quondam Vincetium Lumellum, dum vixit, Ordinis prædicti Ministrum Generalem, ac Joannem Diridolum ejusdem Provinciae Ministrum Provinciale, necnon Definitores, & Vocales Capituli Provincialis Provinciae hujusmodi Cuburis prope Montem Relaxum celebrati die ultima Aug. 1639. edita fuerunt quædam Statuta per modum concordati tenoris, qui sequitur, videlicet.

Nonnulla statuta.

Quod Definitor saltem unus semper ex Gallica lingua, et Natione eligatur, modo fuerit de Corpore Capituli.

Item posthac sex annos Provinciam Minister ex Natione, et Lingua Britannica gubernabit, tres vero dumtaxat ex Lingua, Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

et Natione Gallica eandem moderabitur.

Si contingat autem Ministrum intra suum triennium oppetere mortem, alius ex eadem Natione, et lingua, unde desumptus fuerat, eligatur, qui æquabit residuum temporis, quod alter non potuit explere sui nempe triennii.

Item quod Custos ad Capitulum Generale nunquam destinari poterit ex eadem lingua, et Natione, ex qua Minister est electus, sed ubi Minister fuerit ex Natione, et Lingua Gallica, Custos eligatur ex lingua Britannica, et e contra.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Statuta hujusmodi a pluribus Ministris Generalibus dicti Ordinis approbata, ac in Provincia prædicta per centum, & amplius annos, videlicet ab Anno 1539. usque ad Annum 1642. servata fuerint; & nihilominus a viginti tribus annis, vel circiter nonnulli eadem statuta transgrediantur, illaque per non usum annullare moliantur, ex quod per Sedem Apostolicam nunquam fuerunt approbata; unde jam sopiti rancores, discordiæ, & rixæ excitantur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, præinserta Statuta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, atque executioni demandari præcipimus, & injungimus, sine præjudicio tamen Religiosorum ex aliena Lingua incorporatorum præfate Provinciae.

Supradicta statuta confirmat.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit aliis dictæ Provinciae, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis

Derogatio contrariarum.

quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Junii 1663. An. IX. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Junii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CD XLIV.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod servanda sit consuetudo, per quam Magistris Acceptatis cum voce, & loco Provincia Romanæ Ordinis Prædicatorum, competit præcedentia super Regentem studii in Conventu S. Mariæ supra Minervam de Urbe, aliosque Magistros externos Ordinis prædicti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum Acceptatorum cum loco, & voce Provincia Romanæ Ordinis Prædicatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet ipsi juxta antiquam consuetudinem per octo annos continuos dilectum filium Regentem studii in Conventu S. Mariæ supra Minervam de Urbe dicti Ordinis præcessissent, hic nihilominus ante aliquot menses, parte inaudita, decretum oretenus a dilecto filio Magistro Gen. Ordinis prædicti obtinuerat, quod sibi, & quibusdam Magistris exteris competere præcedentia super dictos Exponentes, qui coram Priore, a quo Decretum hujusmodi mandatur prædicti Magistris Generalis eis intimatum, fuit, protestati sunt id iustitia, consuetudini, & rationi adversari: Seque proinde auctoritate quidem Superioris adactos, obedientiam præstituros; Verum suo tempore eam rem, prout de jure foret decerni curaturos, Cumque subinde venisset novus quidam Baccalaureus Venetus, & pariter Decretum præcedentia super eisdem Exponentes obtinisset, ipsi Exponentes ad Nos pro bona iustitia consequenda recursum habuerant, ac a Nobis rescriptum obtinuerant, quo exposita in Libello Nobis ea super re porrecto ad præfatam Congregationem Cardinalium consideranda remittebamus, quo Libello hæc continebatur, quod dictum Decretum a memorato Magistro Generali emanaverat parte inau-

ditâ, contra antiquam consuetudinem, necnon quasdam fe. re. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis Literas, per quas stabilitus fuerat numerus viginti Magistrorum tantum, qui in præfata Provincia Romana loco, & voce gaudere debent, isque numerus jam completus reperiebatur; quodque novus Baccalaureus positus fuerat contra expressam voluntatem Testatoris, & Fundatoris dicti Studii, ac illius Statuta, quæ determinabant, illum semper ex Provincia Romana esse debere, cum tamen dictus Baccalaureus ex Provincia Veneta esset: Ideoque pro parte eorumdem Exponentium dictæ Cardinalium Congregationi supplicato quatenus juxta iustitiæ rationem opportune super præmissis decerneret, ut quemadmodum univ ersaliter in omnibus aliis Provinciis ex antiqua consuetudine Magistri illorum omnes Magistros externos præcedere solebant, ita quoque manerentur, & servaretur consuetudo hujusmodi in Provincia Romana, quæ una ex magis conspiciuis præfati Ordinis Provinciis extitit: idque eo magis, quod Regens, ac Baccalaureus, & alii Magistri extranei de Curia dicti Ordinis pro quibus recurrebatur, institutione, seu susceptione Magisterii majore parte distorum Exponentium posteriores esse reperiebantur; emanavit a præfata Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis inarratis, reque auditis partibus Eminentissimo Farnesio referente, mature examinata, censuit, ac decrevit servandam esse consuetudinem ad favorem Magistrorum Oratorum, prout harum vigore decernit, servarique mandat, ac præcipit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 15. Martii 1663. M. Cardinalis Ginetti. E. Episcopus Camerinen. Secr.

§. 2. Cum autem, sicut præfati Magistri Acceptati Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum, præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus; salva tamen in præmissis

Decretum Sacrae Congreg.

Decretum confirmat.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

Dat. die 30. Junii 1663. An. IX.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Junii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CD XLV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis Capitulationum Sede Archiepiscopali Salisburgen. vacante ac Capitularibus dictæ Ecclesiæ factarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§. 1. CUM, sicut Nobis innotuit aliis Ecclesiæ Salisburgen. per obitum bon. mem. Paridii dum vixit illius Archiepiscopi solatio destituta Pastoris, Capitularibus ejusdem Ecclesiæ Successorem electuri, in quasdam (ut vocant) Capitulationes convenerint per futurum Electum, quis quis ille foret, observandas; volentes eundem Electum ad præstandum juramentum de ejusmodi Capitulationibus observandis obligatum esse, prout Ven. Fratrem Guidobaldum Archiepiscopum Salisburgen. juramentum hujusmodi de facto præstitisse accepimus: In dictis vero Capitulationibus iurisdictionis, & potestas, ac jura Archiepiscopalia contra Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionem nimium circumferbantur, Apostolicæque etiam Sedis jura, & auctoritatem lædi satagatur: Hinc est, quod Nos considerantes, sine dictæ Sedis Apostolicæ auctoritate nihil omnino in similibus negotiis pacisci fas esse; ne autem ex Capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ apostolicæ defectum ipso jure nullis, & invalidis, aliquid cuiquam jus acquisitum, aut Ecclesiæ Salisburgen. prædictæ, illiusque Archiepiscopo, vel Capitulo qualecumque gravamen illatum, iurisdictionique, & libertati ecclesiasticæ quoquo modo præjudicatum, aut ejusdem Apostolicæ Sedis juri quicquam detractum fuisse, esse, vel fore unquam pretendi, dici, vel censeri, neve quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia etiam quantumlibet juridica causa fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam tacite, aut expresse approbatas allegata.

ri, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse presumi unquam possit pro Pastoralis nostræ sollicitudine providere volentes, ac earundem Capitulationum tenores, etiam veteres, præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Capitulationes præfatas nullas, irritas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris, & momenti, fuisse, esse, & semper fore, adeo nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, perinde ac si conceptæ, factæ, initæ, aut juratæ nunquam fuissent, tenore præsentium declaramus, illisque pro non factis haberi volumus, approbationemque nostram, & beneplacitum apostolicum, quoad ipsas Capitulationes denegamus. Ac memorato Guidobaldo Archiepiscopo iuramentum de servandis Capitulationibus hujusmodi ab ipso, ut præfertur, præstitum, quatenus opus sit, relaxamus.

Capitulationes nullas declarat.

Clausulas apponit.

Contrarias derogat.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Guidobaldo Archiepiscopo, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Apostolicasque Sedis prædictæ Nuncios, ac quovis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus foret, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsto, ac dictæ Ecclesiæ Salisburgen. etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

S s 2 Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Julii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLVI.

Indulgentia Plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Soc. Jesu Festis Sanctorum Ignatii, ac Francisci Xaverii, concessis, ac communiōne refectis.

Vide ad Constit. 591. Urbani VIII. Aliàs fel. Tom. 6. Par. 2. fol. 165. & ad Const. 152. Innoc. X. Aliàs Tom. 6. Par. 3. fol. 227.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Referretur Gregorius XV.

CUM sicut accepimus, alias fel. record. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster volens omnes, & singulas Ecclesias Presbyterorum Societatis Jesu ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confusus, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu ubique existentem, in S. Ignatii ultima Julii, ac S. Francisci Xaverii 2. Decembris mensium celebrari solitis Festis diebus a primis Vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in Domino perpetuo concessit, prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris literis in simili forma Brevis, die 8. mensis Junii 1662. desuper expeditis, quarum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

§.1. Cum autem, sicut prædicti Presbyteri Societatis Jesu Nobis nuper exponi fecerunt, quod Officium, & Festum prædicti S. Francisci Xaverii a die secunda ad tertiam diem mensis Decembris apostolica auctoritate per Nos translata sint: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt prædicti Presbyteri Societatis Jesu, ut indulgentias, & peccatorum remissiones a prædicto Gregorio Prædecessore Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu hujusmodi die festo ejusdem S. Francisci Xaverii die 2. mensis Decembris, ut præfertur, celebrari solitum contentas ad tertiam diem ejusdem mensis Decembris etiam transferre de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur eosdem Presbyteros Societatis Jesu spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentias, & pec-

catorum remissiones a prædicto Gregorio Prædecessore Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu die festo prædicti S. Francisci Xaverii, die 2. mensis Decembris singulis annis celebrari solito concessas, ad tertiam diem ejusdem mensis Decembris, servata tamen in reliquis omnibus, & singulis dicti Gregorii Prædecessoris literarum hujusmodi forma, apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo transferimus, & perpetuis futuris temporibus translatas esse decernimus, ita ut in posterum Christiani fideles aliquam ex Ecclesiis Presbyterorum Societatis Jesu ubique existentium visitantes, Indulgentias, & peccatorum remissiones a prædicto Gregorio Prædecessore alias concessas, & amplius secunda, sed tertia die mensis decembris hujusmodi lucrabuntur.

§.3. Non obstantibus ejusdem Gregorii Prædecessoris literis prædictis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Cancellariæ Apostolicæ regulis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, quod presentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Julii 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLVII.

Prohibet fundaciones Conventuum in Familia Ultramontana Ordinis Minorum de Observantia intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis, etiam aliorum Regularium.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALIàs pro parte dilecti filii Petri Roche Commissarii Generalis Curie pro Familia Ultramontana Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster considerans in Provincia Chartaginensi dicti Ordinis tam angusta, tantam multitudinem Conventuum Regularium diversorum Ordinum reperiri, ibique nihilominus adesse præensiones novarum foundationum, ex quibus quamplurima oriebantur inconvenientia, ordinaverat, ne in posterum ædificari posset ullus Conventus intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis plenius dicitur contineri: Et in eadem expositione sub-

Transfertur indulg. S. Francisci Xaverii in diem tertiam Decem.

Contrariis derogat.

Transumptum fides.

Dat. die 18. Julii 1663. An. IX.

Motiva hujus constitutionis

juncto, quod in Provincia Valentina Fratrum de Observantia, & Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis S. Francisci in Regno Valentie eadem inconvenientia sequebantur, cum intra spatium quadragintaquatuor leucarum longitudinis, & decem latitudinis, vigintitres Fratrum de Observantia, ac viginti Fratrum Discalceatorum, & sexdecim Conventus Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, Hospitalia quoque quamplurima pauperum ex elemosynis viventium, necnon triginta Monasteria Monialium continentur, prætercentum Conventus diversorum Ordinum, quorum major pars est Mendicantium, ex quibus, & seculares valde gravantur, & quamplurima ob novarum foundationum præensiones, præsertim Fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, Discalceatorum, & aliorum, tam inter seculares, quam inter Regulares oriuntur discordiæ, cum maximo regularis discipline detrimento, ac etiam Populorum scandalo.

§.1. Ideoque Congregationi prædictæ supplicato, ut ordinaret, ne in dictis Provinciis, seu Regno ullus Conventus, Domus, sive Hospitium Fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, sive quorumlibet Regularium intra spatium quatuor, vel quinque leucarum a jam fundatis erigeretur absque expressâ Sedis Apostolicæ licentia, prout in Provinciis Burgensium, Granatensium, Aragoniæ, & Majoricensium similiter ordinatum fuit, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis censuit, & decrevit servandam esse formam, & dispositionem memorati Brevis sancti mem. Clementis VIII. etiam in Provinciis Valentie Observantium, & Sancti Joannis Baptistæ Discalceatorum Ordinis hujusmodi: atque ita Fratrum cujuslibet Ordinis Mendicantis, novorum Conventuum, Hospitiorum, seu Domorum, & sub quovis titulo habitationum permanentium erectionem absque Sedis Apostolicæ licentia contra tenorem dicti Brevis, & Apostolicarum Constitutionum in prædictis Provinciis esse prohibendam, & interdicendam, prout harum serie prohibet, & interdicat, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 22. Junii 1663.

M. Cardinalis Ginettus. §.3. Cum autem, sicut dictus Petrus Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicæ confirmationis nostre robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Petrum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis,

Decretum Sacra Congr.

Confirmat præfatum decretum.

si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore presentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§.4. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentibus, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 6. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

CDXLVIII.

Facultas D. Cardinali Barberino Camerario S. R. E. absolventi Christianum Duce Meckelburgensem ab hæresibus, præmissa abjurazione, emissaque per eum professione.

Ven. Fratri nostro Episcopo Prænestin. Cardinali Antonio Barberino nuncupat; S. R. E. Camerario.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. CUM sicut non sine spirituali animi nostri lætitia Nobis relatum, fuit nobilis vir Christianus Dux Meckelburgensis ex partibus hæreticis procreatus, ac in hæresi Lutherana educatus divinæ gratiæ lumine illustratus, viaque veritatis agnita Lutheranam, & alias quascumque hæreses abjurare, & omnino deserere, ac ad gremium S. R. E., benediciente Domino, redi-

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum

Dat. die 6. Aug. 1663. An. IX.

Ex Regest. in Secret. brev.

Motiva.

Decretum confirmat.

Concrasit.

Dat. die 6. Aug. 1663. An. IX.

redire decreverit : Nos, qui pro pastorali munere id unum præcipue curare tene-

§.2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & syno-

CDXLIX.

Super electione Provinciarum Indiarum Ordinis Prædicatorum, ac confirmatione eorumdem a Magistro Generali.

Vide ad Const. 608. Tom. 6. par. 2. fol. 189. Urbani VIII. Nuper pro parte, in qua cave-

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacro sancti Apostolatus sollicitudo, quam meritis licet, & viribus longe impares, auctore Deo gerimus, Nos admonet, ut circa statum personarum quarumlibet divi-

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fe-

cit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod dudum Provinciarum Indiarum dicti Ordinis ob immanem eorum ab hac alma Urbe distantiam, mox ab eorumdem institutionis initio provifum fuit de indulto, aut privilegio respective, quo illic Capitulis Provincialibus conceditur primo Definitori, vel Definitorio facultas confirmandi statim Provinciale ibidem electum, vel quod ipsa electio sit simul confirmatio. Et specialiter pro Provincia Sancti Jacobi de Mexico Ordinis hujusmodi quondam Joan. de Fenario dum vixit Magister Generalis ejusdem Ordinis, impetravit a felic. rec. Clemente Papa VII. Prædecesore nostro literas in simili forma Brevis die 11. Julii 1532. expeditas. quarum initium est, Pastoralis Officii &c. in quibus disponitur, ut Prior Provincialis ipsius Provincie juxta Constitutionum ipsius Ordinis tenorem eligi, & per Definitorium Capituli cassari, aut confirmari, & ad Officium ipsum acceptandum censuris Ecclesiasticis compelli possit: Et si contingat Definitorium in partes æquales dividi, tunc eligatur ab eisdem Definitoribus unus alius Religiosus de dicta Provincia, & ea pars Definitorii, cui talis electus ad hæserit, Provinciale casset, & confirmet, prout videbitur expedire.

§.2. Verum ne hujusmodi concessionem, quæ provisionales sunt, cum ingenti Ordinis præjudicio ex sinistra intelligentia traherentur in perniciosum abusum, ac sensum a mente concedentium alienum, intelligendo quod essent solemnes, & definitiva, Capitulum generale dicti Ordinis Romæ anno 1589. celebratum remedium adhibuit, ac ordinavit, quod Provinciales Provinciarum Indiarum statim post eorum electionem juxta privilegia ipsius Provincie concessa, munere suo fungerentur: teneantur tamen saltem intra biennium ad Magistrum General. ejusdem Ordinis mittere decretum suæ electionis pro sui, & totius Ordinis Capituli debita recognitione, & hoc sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda, & inhabilitatis in posterum. Quam quidem ordinationem quondam Thomas Turchus, dum vixit Magister Generalis Ordinis præfati, inter alias, quas pro Provincie Indiarum ex factis a suis Prædecessoribus, & Capitulis generalibus compilavit Cæsar Augustæ anno 1648., & explicavit, hoc adjecto, ut Magister Generalis electionem vel confirmare, vel cassare posset, prout sibi in Domino videretur. Quæ omnia considerans Capitulum generale dicti Ordinis itidem Romæ anno 1656. celebratum innovavit, auxit, & communit prolixa ordinatione pro Provincie Indiarum in communi numero 5. tenoris, qui sequitur, videlicet: Cum in Capitulo generali Romæ 1689. sic ordinatum fuerit, Provinciales Provinciarum Indiarum statim post eorum electionem, juxta Privilegia ipsius Provincie concessa munere suo fungantur, teneantur tamen saltem intra biennium ad Reverendiss. Patrem Generalem

Expositio.

Provinciales Indiarum confirmari debent a Mag. Gen.

lem mittere decretum suæ electionis pro sui, & totius Ordinis Capituli debita recognitione, ut electionem vel confirmare, vel cassare possit, prout sibi in Domino videbitur expedire, & hoc sub pœna privationis officii ipso facto incurrenda, & inhabilitatis in posterum; Nos hujusmodi ordinationem, velut sacræ Obedientie, & unitati indivise nostri Ordinis summe necessariam, extremo, quo possumus, consensu munimus, stabilimus, & insuper ordinando adiciamus, quod Provincialis quilibet electionis suæ scrutinium, seu decretum intra tempus supra expressum, ac præfixum Magistro Ordinis non miserit post suum Provincialatum, in omnibus habeatur, ac si revera Provincialis non fuisset: Proinde in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientie, sub formali præcepto, necnon sub nullitate ejusdemque actus in contrarium prohibemus: Tum ne talis post suum Provincialatum potiarur, aut potiri permittatur loco illis aliis debito, qui quondam Provinciales fuerant: tum etiam ne possit deinceps toto vite suæ tempore eligi, vel quoquo modo applicari ad officia Prioris, Visitatoris, Vicarii, Doctrinarii, sive ad alia munia etiam Scholastica, quorum omnium ex nunc simpliciter incapax decernitur, ac declaratur, ita quod tali, neque præfacti loci, neque vocis passivæ jus ullum suffragari possit, donec Magistri Ordinis superveniens confirmatio realiter ipsi Provincie illata, ac notificata plene constare fecerit electionem fuisse bonam, & supremam Ordinis auctoritate solemniter, legitimeque agnitam, & approbatam.

§.3. Quod si in aliquibus harum Provinciarum adit, vel adesse prætendatur qualecumque Indultum, Privilegium, Exceptio, Dispensatio, aut qualicumque nominis exemptio tollens, minuens, atque suspendens, Ordinationem supradictam, ejusve obligationem, aut pœnas appostas: Nos hodie communi, ac publico nomine totius Ordinis Prædicatorum, quem in hoc generali consensu legitime representamus, hujusmodi privilegio, indulto, exceptioni, dispensationi, ac cujuscumque nominis exemptioni, si qua est, vel putatur esse, tanquam regularis obedientie pernicioso detrimento, seu facillimæ schismatum occasione deliberate, serio, ac expresse renunciamus, ac renunciatur esse denunciamus. Denique obtestamur Reverendissimum Magistrum Ordinis, ut quancumque contigeret ex aliqua harum Provinciarum non transmitti ad se scrutinium, seu decretum electionis novi Provincialis, vicissim ipse acta illius Capituli Provincialis, si qua forte seorsim ad manus suas pervenerint, nequaquam approbet, nec ullas graduum postulationes exaudiat, aut ullius promotionis patentes expediri jubeat, neque institutiones Prædicatorum Generalium in hujusmodi actis exponi solitas admittat, vel ratas habeat, nec taliter factas institutiones ullum fortiantur effectum, quoad usque electus Provincialis fuerit per

Magistrum Ordinis confirmatus, hujusque confirmationis patentes in Provincia sint promulgata.

§.4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, præsertim ordinationibus non obstantibus præfata Provincia S. Jacobi de Mexico sub moderno Generalatu distiterit sponte, ac desciverit a lege, & obligatione transmittendi, & submittendi dicto Magistro Generali exponenti decreta, seu scrutinia electionum duorum Priorum Provincialium proxime præteritorum pro obtinenda legitima ipsarum confirmatione vel si in Domino conveniens videretur, cassatione: Nobis propterea ipse Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur eundem Magistrum generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, ad quos preces hujusmodi remisimus, visis, & mature confideratis, ac perpensis per eosdem Cardinales memoratis Clementis Prædecessoris nostri in forma Brevis literis, & præinserto Statuto Capituli Gener. celebrati de an. 1656. ipsum statutum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, eique inhærendo expresse decernimus in posterum Provinciales, nedum Mexicanæ, sed etiam aliarum Provinciarum Indiarum Ordinis hujusmodi immediate post eorum, seu cujuslibet eorum capitularem electionem munere suo fungi debere; teneri tamen saltem intra biennium ad Magistrum Generalem Ordinis prædicti transmittere decreta, & acta suarum electionum, ut ipse Magister Generalis easdem electiones confirmare, vel cassare possit, prout sibi juris esse videbitur. Aliiter in casu contraventionis ipso jure, & ipso facto, & absque ulla declaratione intelligantur privati suo Provincialatu, & habeantur in omnibus, ac si Provinciales non fuissent, sintque pariter privati voce activa, & passiva, & inhabiles in perpetuum nedum ad prædictum officium Provincialatus, verum etiam ad quæcumque alia Prioris, Visitatoris, Vicarii, Doctrinarii, sive alia munia, etiam Scholastica, & subjequantur effectivè omnibus, & singulis pœnis in præfato Statuto contentis.

§.5. Ne autem ex dubio super validitate, vel nullitate electionum hujusmodi erga Provinciales electos obedientia denegetur, vel subsequantur nullitates, auctoritate, & tenore præfatis volumus, & mandamus

Confirmat Statutum Capituli Gen.

Supplet juris defectus.

damus eadē electione, dummodo sufficienti votorum numero a suffragantibus capitulariter sint facta, quicquid fore reclametur, aut opponatur, quoadusque expectabitur responsio Magistri Generalis, tanquam canonicas, & legitimas habendas esse, supplendo pro interim ex nunc pro tunc omnes, & singulos juris, & facti defectus, qui in eis forsitan interceperint respective. Salva semper in praeiis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausula.

§.6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§.7. Quocirca Venerabilibus Fratribus illarum partium Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis locorum Ordinariis, & eorum cuilibet per presentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties ipsorum aliquis, seu aliqui desuper fuerint requisiti, si ve etiam ex officio procedentes, easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra ipsas praesentes literas, & in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat, & spectabit quovis modo in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè servari, & executioni demandari, contradicentes quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni appellatione remota compefcendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & penas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Et penas extra in obediuntibus addicit.

§.8. Non obstantibus supradictis Clementis Praedecessoris literis, ac rec. mem. Bonifacii PP. VIII. Praedecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, praefatorum Ordinis, & Provinciarum, aliisque quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore perman-

ris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Transumptis data fides.

Dat. die 7. Aug. 1663. An. IX.

CDL.

Commissio Archiepiscopo S. Dominici in Indiis Occidentalibus super separatione Insulae Sanctissimae Trinitatis a Dioecesi de Portorico, & unione Archiepiscopatus Sanctae Fidei.

Ex Regest. in Secret. Broo.

Ven. Fratri Archiepiscopo Sancti Dominici in Indiis Occidentalibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Nomine Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper exposuit dilectus filius noster Paschalis S. R. E. Diaconus Cardinalis de Aragonia nuncupatus, quod cum eisdem Philippo Regi relatum fuerit, Insulam Sanctissimae Trinitatis Guaianam nuncupatam in Indiis Occidentalibus, quae in Spiritualibus quidem Episcopatu Portus divitis, seu de Portorico hucusque subiecta fuit; In temporalibus vero ad iurisdictionem audentiam in Insula S. Dominici instituta pertinebat, ob ingentem ejus ab Insulis de Portorico, ac S. Dominici distantiam, debita cura, & assistentia tam in spiritualibus, quam in temporalibus huiusmodi minime gubernari; Ipse Philippus Rex eandem Insulam Sanctissimae Trinitatis ad audentiam Sanctae Fidei in temporalibus de cetero spectare debere decrevit.

Supplicatio.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subijungebat, Episcopi Portus divitis, seu de Portorico jam a multis annis propter longitudinem itineris maritimi per eos faciendi, quod ad quingenta, & amplius milliaria protenditur, necnon periculum, quod ab Anglis, & Hollandis, qui Colonias, seu populationes in quibusdam Insulis dictae Insulae Sanctissimae Trinitatis vicinis habent, & navigationem illic infestant, imminet, eandem Insulam Sanctissimae Trinitatis non visitaverint, ipsiusque Insulae Incolis Sacramenta Confirmationis, Extremae Unctionis ob defectum Sacri Olei jamdiu administrata non fuerint; His vero inconvenientibus remedium adferri, dictae Insulae Sanctissimae Trinitatis Spiritua-

li gubernio opportune consuli possit, si ipsa Insula Archiepiscopatu Sanctae Fidei adjungatur, cum eisdem Archiepiscopatus Dioecesi vicina sit, & inter continentem, ac Insulam huiusmodi brevis maris trajetibus interjacet. Nobis propterea praefatus Paschalis Cardinalis memorati Philippi Regis nomine humiliter supplicavit, ut eandem Insulam Sanctissimae Trinitatis ab Episcopatu, & Dioecesi Portus divitis, seu de Portorico huiusmodi separare, & dismembrare; sicque separatam, & dismembratam praefato Archiepiscopatu, & Dioecesi Sanctae Fidei unire, annectere, & incorporare de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr.

§.2. Nos igitur pro commissa Nobis coelitus omnium Ecclesiarum sollicitudine Spiritualium Christianissimum in dicta Insula Sanctissimae Trinitatis degentium regimini salubriter quantum cum Domino possumus providere, necnon piis eisdem Philippi Regis desideriis favorabiliter annuere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. praedictae Cardinalium rebus Consistorialibus praepositorum consilio, diligenter pensis per eosdem Cardinales rationibus quae pro separatione dictae Insulae Sanctissimae Trinitatis a Dioecesi Portus divitis, seu de Portorico, & unione Archiepiscopatus Sanctae Fidei offerrebantur, cum ea satis valida, urgentesque visae fuerint, nec sine gravi animarum iactura differri posse negotium videatur; Fraternitati tuae per presentes committimus, & mandamus, ut confitit tibi de narratis, & audito Ven. Fratris Episcopi Portus divitis, seu de Portorico, ad separationem, & unionem praedictas respective, servatis servandis, auctoritate nostra apostolica procedas.

Clausulas apponit.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas, illarumque vigore a te faciendas separationem, & unionem huiusmodi semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque illas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus separationum, & dismembrationum, ac unionum, & incorporationum etiam effectum nondum sortitarum, seu aliarum quarumvis gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per quascumque literas, & Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariae Apostolicae regulas sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis per Nos vel quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, & in crastinum cujuslibet eorum assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & de apostolica potestate plenitudine, ac consistorialiter, & alias quomodolibet pro tempore factis unquam comprehendi, aut comprehensas censei, sed semper ab illis exceptas, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub posteriori data per eos, ad quos Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

pro tempore spectabit, eligenda concessas intelligi, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere; sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis tollit.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariae praedictae regula de exprimendo vero valore in unionibus, & dismembrationibus, necnon Lateranen. Concilii novissimi celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permisis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum Portus divitis, seu de Portorico, & Sanctae Fidei, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis etiam eisdem Ecclesiis, illarumque Praefulibus, & Capitulis, Canonicis, & personis, & aliis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & Decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum, sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissis, & forma in illis tradita pro servata habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1663. Pontificatus nostri Anno IX.

Dat. die 8. Aug. 1663. An. IX.

CD LI.

Prohibitio ne de cetero perpetuis futuris temporibus ullus Frater cujusvis alterius Conventus Ordinis Fratrum Praedicatorum filius, Conventui Sanctae Mariae supra Minervam Urbis Ordinis huiusmodi adliari possit absque speciali Sedis Apostolicae concessione.

Ex Regest. in Secret. Broo.